



1. Michaelis / Joh. Georg / diff. de viro stante
inter Myrtos, Halle 1739.

2. Moller / Christoph Gottfr. / diff. de genuina
vorum xarakter et ypostasi notione,
Lippie 1738.

3. Mosheim / Joh. Laur. / diff. de Jesu Christo
vindice dogmatis de mortuorum ad
vitam reditu, Helmst. 1740.

4. Müller / Gottfr. Ern / diff. de papolatris.
Lippie 1726.

Müller / phil. / diff. de jure Dei in Homines,
Jena ~~1767~~ 1701.

diff. de regno Israelii restaurato,
do, Jena 1704.

crocodilus lacrimans, Jena 1733

diff. de Jesu Christo deandropo, Jena
1704

diff. de gloria
Casp. Gottfr. / diff. de gloria
herundi, Jena 1661.

77. 25
Q. D. B. V.

DISSERTATIONEM
DE

TEMPERAMENTO IOHANNIS
APOSTOLI CHOLERICO

IN ALMA GEORGIA AVGVSTA

CONSENTIENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM
ORDINE

PVBlicAE DISQVISITIONI SVBMITTVNT

PRAESES

M. CHRISTOPH. LVDOVICVS
OBBARIVS

ET RESPONDENS

CHRISTIANVS FRIDERICVS HEINE

LAVTERBERG. GRVBENHAG. S. S. THEOL. CVLTOR.

H. L. Q. C.

D. VIII. SEPT. A. O. R. MDCCXXXVIII.

LITTERIS HAGERIANIS.

25

D. D. N.

DISSERTATIONEM

DE

TEMPERAMENTO IOHANNIS

ATOSTOMI CHOLERICI

IN ALMA GEORGIA ACADEMIA

CONSENTIENTE ANTISSIMO PHIL. GEORGIANO

RECTORI UNIVERSITATIS

PHILIPPO

M. CHRISTOPHO LUDOVICO

OBBIARIO

ET RECTORI

CHRISTIANO FRIDERICO HEINE

AVIARUM GENTIS RECTORI

D. VIII. SEPT. A. O. R. MDCCXXXVIII.

LITTERIS HAGERIANIS



In *temperamentum Iohannis Apostoli* inquirunt, pauca prius de *temperamentis* in genere monebimus. Subintelligitur vero proprie per *temperamentum*, quod Graeci *μετρον* vocant, mixtura & proportio sanguinis & diversorum humorum ac particularum in corporibus, praesertim humanis, existentium. a) *Sive*, temperamentum est certa sanguinis mixtura, in qua unum e principiis primis dominium obtinet a reliquis temperandum: uti enim *temperare* Latinis est, rem ad quandam mediocritatem reducere, ita in corporibus humores deprehenduntur aliaque, sibi primo obtutu plane contraria & inter se pugnantia, quae tamen se invicem ita blande temperant & modificant, ut, quae singula noxia corporibusque adversa videri poterant, amico cohaereant consensu, & optime inter se conspirent. Hinc B. Väterus b) *temperamentum* esse dicit eiusmodi dispositionem corporum, quae a legitima & ordinata fluidorum mixtione ac debita solidorum textura pendeat. Multum disceptatum fuit de numero temperamentorum, & fortasse nunquam inter se consentient Doctores, communissime tamen tria vel quatuor statuuntur temperamenta, cholericum nempe, sanguineum, melancholicum & phlegmaticum. c) Sanguinem *Cholericorum* abundare dicunt particulis oleosis, sulphureis & calidis, adeoque spirituosum ac fervidum esse; *sanguinei* habere dicuntur sanguinem bene temperatum, fluidum ac maxime aquosum, cum contra *Melancholicorum* sanguis frigidior, crassior ac magis terrestris remanserit. *Phlegmaticorum* tandem sanguinem nimia abundare serositate & particulis pituitosis, ac segniter admodum circumvolvi affirmant. Hunc quaternarium numerum optimis semper Medicis ac Philosophis placuisse,

A 2

docet

- (a) vid. Wernher in *Diff. de Temperamentis Istorum Witt.* 1733. c. 1. §. 1. (b) *Physiol.* Sect. 4. c. 3. th. 1. (c) vid. Wernher. l. c. §. 2. sqq. Hoffmann, *Diff. de temperamento fundamento morum & morborum in genere.* th. 7. p. 10, Walch, *Philos. Lex. v. Temperament.* p. 2522. sqq.

docet B. Buddeus, d); fuerunt tamen haud pauci, qui phlegmaticum temperamentum non admiserunt, sed illud sub sanguineo comprehenderunt, quorum rationes adduxit Cl. *Quirin. Gregorius e*), qui & ipse phlegmaticum temperamentum inter Non-Entia retulit.

§. II. Mores plerumque sequi temperamentum corporis, ac diversam corporis naturam diversos quoque gignere mores, communissima est Medicorum ac Philosophorum sententia. f) Ipse summus Aristoteles iam suo tempore non dubitavit, ex temperamentorum differentia omnes deducere animi mores, & Galenus thesin suam, quod animi mores corporis temperamentum sequantur, ex Aristotele probavit. g) Seneca inquit, i) *refert, quantum quisque humidi in se calidique contineat: cuius in illo elementi portio praevaleret, inde mores erunt. Iracundos fervidi mixtura faciet, est enim actuosus & pertinax ignis; frigidi mixtura frigidus facit, pigrum enim est contractumque frigus. - - Quibus humidi plus inest, eorum paulatim crescit ira, quia non est paratus illi calor, sed motu acquiritur. Siccis atatibus vehemens robustaque ira est: sed sine incremento, non multum sibi adjiciens, quia inclinatum calorem frigus insequitur. Imo Buddeus k) vocat Stoicorum errorem, a multis taxatum, nil animum a corpore affici, erroremque hunc per se tam absurdum esse affirmat, ut facile hanc statuentem quotidiana experientia queat refellere; licet ipse alibi l) concedat, temperamentum corporis non esse unicam & adaequatam causam propensionum atque inclinationum animae. Dantur enim, praeter temperamentum corporis, fere innumerae propensionum animae causae, quarum potiores sunt educatio, consortium, mores & exempla eorum, quos in prima infantia quotidie ante oculos habemus, & vel amamus vel veneramur, primi conceptus, qui nobis in prima aetate imprimuntur, aliaeque plu-*

(d) in Diss. continente Historiam doctrinae de temperam. hominum, §. 54.
 (e) in Diss. 1. de temperamentis Apostolorum, §. 2. (f) vid Hoffmann
 l. c. th. §. p. 7. Gregor. l. c. §. 3. (g) vid. Budd. Diss. cit. §. 33. sqq.
 (i) de Ira l. 2. c. 18. 19. (k) l. c. §. 39. (l) in Elem. Philos. Pract.
 c. 5. §. 9. p. m. 161.

plures. Neque negamus, posse, per educationem inprimis & consortium, quo utimur quotidie, prorsus contrarias animi propensiones in nobis produci, quam ad quas per naturalem constitutionem corporis nostri propensi sumus. Quia tamen temperamentum corporis re vera haud parum confert ad hominum propensiones, & quia etiam vulgo & a plerisque omnia huc vsque ad temperamenta relata fuerunt, nos, de propensionibus animi naturalibus potissimum acturi, quatuor illas classes retinebimus, non quod doctrinam vulgarem de temperamentis ex toto probemus, sed quia commode omnia ad illas classes referri possunt. m)

§. III. *Cholerici* nempe præ cæteris ad ambitionem proclives esse dicuntur, & ad omnes celeres, præcipientes impetuosasque actiones, e. g. ad iram, audaciam, impatientiam, temeritatem, &c. Inter virtutes autem eorum celebratur animi insignis constantia ac magnitudo. *Sanguineis* vero propria esse dicitur voluptas, adeoque molliores sunt & proni ad securitatem, negligentiam, incuriam, itemque ad amores, ad misericordiam ac humanitatem, & omnem vel minimam fugiunt ac averfantur molestiam. E contra frigida & sicca esse dicitur *Melancholicorum* natura, & sanguis eorum crassior & spissior, adeoque tardius & impeditius in venis procedit, hinc ipsi trepidi, timidi, anxii, diffidentes, suspiciosi, ad avaritiam, meticulositatem, immisericordiam proni, & ad labores perferendos apti, &c. *Phlegmaticos* si quis sanguineis annumerare veller, nos non haberet contradicentes, interea asseritur, sanguinis pituitosi ac nimium ferosi abundantiam eos reddere pigros, somnolentos, otiosos, timidos, torpidos & ad magna molienda prorsus ineptos. n) Quæ cum ita sint, nos vocabulum *temperamenti* accipiemus in sensu potissimum morali, & non tam ad fluidorum in corpore dispositionem respiciemus, quam ad primarias animæ propensiones naturales, quæ alias ambitionis, voluptatis & avaritiæ nomine venire solent, neutquam tamen temperamentum hominis physicum prorsus exclusum volumus.

A 3

§. IV.

(m) Wernher. l. c. c. 2. §. 3. p. 27. (n) Hoffmann. l. c. th. 7. p. 10.

§. IV. Manifestum est, temperamentum hominis morale variis ex causis mutari posse, & saepe immutari, de temperamento physico vero illud negat Gregorius, (o) & Seneca adducit verba Ep. 11. dicentis: *quacunq; attribuit conditio nascendi & corporis temperatura, cum multum se diuque animus composuerit, haerebunt, nihil horum vitari potest, non magis quam accersit.* Additque, motum sanguinis & spirituum animalium esse actiones pure naturales, adeoque inevitabiles ac indifferentes, discrimen autem actionum, quod emendati bene, non emendati autem male agant, ortum suum ducere non a mutato temperamento corporis, hoc namque emendationis eiusmodi capax non esse, sed a diversa applicatione animae, quae, prout in ipsa vel *in actia* vel vera virtus dominium obtineret, motibus hisce indifferentibus & recte uti & abuti posset, Nos, licet facile concedamus, non semper mutari corporis temperamentum, quando animi propensiones mutantur, tamen credimus, mutari quoque interdum posse etiam ipsum corporis temperamentum, quando scilicet variis ex causis fit alteratio, liceat ita loqui, particularum in corpore e. g. per alimentorum diuersitatem, per morbos, per aëris mutationem, qui sub climatibus & plagis diuersis variat, &c. uti hoc fuse demonstraui *Hoffmannus*, (p) aliique. Sed sit hoc, ut sit, hoc tamen certum est, paucos homines per totam vitam easdem seruire animi propensiones, & habitus pristinos ac affectus saepe expelli per contrarios acquisitos habitus. (§. 2.) Apodictice igitur ab actionibus hominis & mentis propensione ad temperamentum ejus physicum concludi non potest: probe quoque cavendum, ne, qualem hominem aliquando fuisse ex actionibus ejus pristinis cognovimus, tale temperamentum talemque animi propensionem ei semper per totam eius vitam adjudicemus. Nulla vero insignior mutatio homini per totam vitam accidit, quam in conversione; cavendum igitur, ne idem prorsus temperamentum, secundum omnes ac singulas suas affectiones, homini post conversionem tribuamus, quale ante illam habuit.

(o) Diff. 1. cit. §. 3. p. 10. (p) in Diff. cit. th. 13 - 30.

buit. Cum vero gratia non prorsus immutet ac tollat, sed tantum perficiat, emendet ac sanctificet naturale hominis temperamentum, & semel acquisiti habitus non ita deleri & radicitus extirpari possint, ut non subinde recurrant, nam naturam expellas furca licet, tamen usque recurret, omnino etiam post hominis conversionem ejus temperamentum pristinum & propensionem animae primariam naturalem indagare possumus, si nempe ad actiones eius naturales & improvisas attendimus, quas non ex plena suscipit deliberatione, sed ad quas suscipiendas vel per casum quendam fortuitum, vel per affectum subito exortum & excitatum impellitur. Ubi tamen probe observandum, quod non statim ex una ejusmodi actione improvisa & naturali ad temperamentum & propensionem hominis primariam naturalem colligendum sit, & quod omnes sollicite observandæ sint cautelæ, quæ traduntur a doctoribus, qui de arte cognoscendi aliorum animos scripserunt, quas vero hic recensere nostri instituti ratio non permittit. (q)

§. V. Paucis h. l. dispiciendum est: *an unum temperamentum magis ad conversionem & ad pietatem idoneum sit, quam alterum?* Sunt, qui affirmativam tenent sententiam, qui tamen inter semet ipsos dissentiunt, aliis hoc temperamentum, aliis aliud præferentibus. *Cl. Quir. Gregorius in castra sanguineorum transit, expresse enim asserit (r), in horum cordibus non tanta gratiæ Spiritus S. esse opposita impedimenta, quanta quidem in hominibus alius temperamentis deprehendimus.* Gravis nempe Melancholicorum, addit, inferiora potissimum petens, & Cholericorum nimis effervesceus sanguis Spiritus divini placidis motibus facilius remoram injicere potest, quam Sanguineorum æquabili motu procedens & socialitatem semper appetens. Et alio loco s); *Gratiam Dei universalem esse omnibusque hominibus*

(q) Speciant huc non Nobis Unterricht die menschl. Gemüther zu erforschen, Thomasi Ausübung der Sittenlehre, Walehii Diss. de arte aliorum animos cognoscendi, aliisque. (r) Diss. 1. cit. §. 18. (s) in Diss. de usu doctrinæ de temperam. Apostol. §. 12. p. 28.

ferio S. efficaciter offerri, S. littere affirmant, S. nos cum ipsis, qui ergo sit, quod non omnes per eandem convertantur? Qui sit, ut diversam adeo viam incant in querendis reducendisque peccatoribus gratia Dei preveniens atque convertens? Ad naturam hominis diversam nec non temperamentorum diversitatem hic confugiendum esse, quivis nullo negotio videt. Sanguineos non tam multa gratiae convertenti obicere obstacula, quam quidem cholericos, historia loquitur Apostolorum: Petrus, quem sine sufficienti ratione credit fuisse sanguineum, vel per solum nutum convertitur, contra vero Paulus cholericus per gratiam demum extraordinariam ad Deum suum reducitur. Et forte etiam huc pertinent ipsius Magistri nostri verba: publicani S. meretrices praecedunt vos in regnum Dei. Matth. XXI. 31. Quantum enim ad meretrices attinet, ille voluptatibus carnis maximo studio inbiantes satis produunt temperamentum suum sanguineum, adeoque non tanta Spiritui S. ponentes obstacula facilius, quam summorum Pontificum fastuosa turba, salutem aeternam consequi potuerunt. &c.

§. VI. Nos denegamus in totum uni temperamento praeter altero praerogativam quandam aut majorem ad pietatem aptitudinem ac idoneitatem. Post lapsum enim omnes homines, cuiuscunque sint temperamenti, per se ad pietatem & verum bonum agnoscendum ac eligendum prorsus inepti sunt (t): naturalis enim omnium hominum inclinatio inimicitia est adversus Deum, u) imo tota tantum mala a prima juventute. w) Deest omnibus hominibus naturaliter ad bene agendum & posse, x) & velle ac operari, y) quomodo igitur dici potest, aliud temperamentum ad pietatem esse aptius? Et haec naturalis omnium hominum ad bona spiritualia ineptitudo, est illa ipsa, quae in scholis Theologorum traditur, *repugnantia naturalis*, quae apud omnes aequalis est, & per gratiosam Spiritus S. operationem, cum verbo Dei semper intime connexam, vincitur, atque sic homo demum aptus redditur ad veram fidem concipiendam

(t) conf. pulchre hac de re differentem Jctum Wernher, l. c. c. 1. §. 9.
10. (u) Rom. VIII. 7. sq. (w) Gen. VI. 5. VIII. 21. (x) Rom. VIII.
7. Joh. XV. 5. (y) Phil. II. 13.

eñdam & infucatam pietatem exercendam: 7ò *resistere est ex temperamento*, inquit ipse *Gregorius*, z) 7ò *non resistere vero est effectus supernaturalis ex gratia deducendus*, quae omnibus impedimentis naturalibus vincendis sufficiens est; & LL. SS. homines conversionis & gratiae Dei capaces fieri negant, ex sua propria, naturali, & activa aut efficaci habilitate, aptitudine aut capacitate, passivam vero capacitatem, quod scilicet verti possint ad bonum per gratiam Dei, omnibus æqualem tribuunt. a) Quod vero alii homines facilius, alii difficilius vel prorsus non convertantur, in culpa est non naturalis, sed malitiosa quorundam hominum resistentia, quae vero non ab hominis naturali temperamento dependet, sed est aliquid præternaturale & vitiositas sponte contracta ac temperamento hominis naturali superaddita; hæc remoratur, difficilemque, imo prorsus frustraneam reddit operationem gratiosam Spiritus S. neutiquam vero naturalis resistentia, quae præcise sumpta conversionem non impedit, inquit *B. Baierus*. b) Resistentiam naturalem homo nullo modo per vires naturæ vincere potest, sed ea per solam Sp. S. gratiam sensum minuitur tandemque vincitur; a malitiosa autem repugnantia homo convertendus & cessare debet, & ex viribus naturalibus ac sine speciali Spiritus S. operatione potest. c) Hæc malitiosa repugnantia in aliis minor est, in aliis maior & magis perseverans, hinc est, quod alii difficulter, alii difficilius, alii difficillime vel prorsus non convertantur. Sanguineorum vero malitiosam resistentiam generatim non tam pertinacem esse, quam Cholericorum aut Melancholicorum, probari nequit: plerosque Apostolorum fuisse sanguineos, & propterea eorundem conversionem facilem, affirmat *Gregorius* quidem, sed non sufficienter probat. Et posito etiam hoc, tamen exinde generaliter concludi non posset, omnes sanguineos gratiæ conver-

B

tenti

x) Diff. de usu doctrinæ de temperam. Ap. §. 13. p. 35. a) p. m. 662. *Baier Theol. Pos.* P. 3. c. 4. §. 38. a. b) l. c. §. 39. d. c) Gal. I. 16. A& XXVI. 19. conf. LL. SS. p. m. 660. 671. 673. 679. & passim. it. *dey* Jen. Theologen ausüb. Erl. p. 443. sqq.

tenti minora objicere obstacula, quam reliquos, quod tamen esset, si malitiosa resistantia a temperamento hominum naturali dependeret. Pauli exemplum nihil probat, nisi ostendatur, nullum Cholericum sine extraordinaria gratia converti posse. Meretricum conversionem faciliorem esse pronunciat Salvator, quam Phariseorum, non, quod illæ vi temperamenti sui minora objicerent obstacula gratiæ Spiritus S. sed quia scelera eorum manifesta & ipsi rationi contraria sunt, ut adeo facilius de statu miseræ suæ convinci possint, quam Pharisei, qui civiliter boni erant, & magnam vitæ affectabant sanctitatem externam. Et quid de publicanis dicendum erit, quos ipse *Gregorius* plerumque Melancholicos fuisse credit, quare etiam in facili conversione Matthæi, primæ Christi vocationi obtemperantis & tabernam suam statim derelinquentis, digitum Dei agnoscit. d)

§. VII. Sed pergimus ad *D. Iobannem Apostolum*, cujus temperamentum naturale investigare decrevimus, quæ investigatio insignem illum præstat usum, ut eo accuratius discernimus naturæ & gratiæ investigare, & quam efficax fuerit gratia in Apostolo, distincte perspicere possimus. e) Credimus vero illum natura fuisse Cholericum, & hanc nostram assertionem probabilibus rationibus confirmamus. Faciunt pro nostra sententiâ omnes fere, quæ de eo in S. Codice narrantur, circumstantiæ. Provocamus primo ad illustre illud cognomen, quod ipse Salvator optimus ipsi & fratri Iacobo dedit, eos vocans *Βοαργεγες*, i. e. *υις Βεοργης*. f) Dissentiunt inter se interpretes, rationem allaturi hujus cognominis: eorum tamen præstantissimi eo inclinant, ut
Chri-

d) in *Diss. II. de temperam. Ap. §. 6.* e) *De usu doctrina de temperamenti Apostolorum in Theologia peculiarem conscripsit Diss. Qu. Gregorius*, eamque 1714. *Lips. sub presidio D. Gottfr. Olearii* ventilavit, *Consequoq; Ccl. Lampius, Comment. in Ioh. Tom. I. Proleg. de vita Ioh. c. 1. §. 14. not. S.* f) *Marc. III. 17.* De deductione & origine huius vocis *vid. B. Chladen. Diss. de cognomine Βοαργεγες filii Zebædæi* imposto. *W. 1712. §. 7-15.*

Christum respexisse existiment ad doctrinæ, quam olim proposituri erant, gravitatem, mysteriorumque sublimitatem ac profunditatem, & quod eorum vox quasi futura esset buccina Dei, quæ totum penetratura esset terrarum orbem, & cui nec ulla potentia nec sapientia resistere possit, nam doctrinam eorum fore instar tonitru ad percellenda hominum ingenia. g) Nos huic præsententiæ non refragamus, eamque facile admittimus, sed, cum unius rei plures possint esse causæ, certo credimus, Servatorem nostram maxime quoque horum fratrum respexisse temperamentum naturale fervidum, æstuosum ac vehemens, atque adeo hoc nomine declarare voluisse, hos fratres tam per naturam, quam per gratiam, vere esse *ὄντες θεογονῆς*. Idem jam ante nos fenserunt magni nominis viri, *Dan. Arcularius*, Professor quondam Marpurgensis, *hos fratres ob concionum vehementiam filios tonitru cognominatos judicans, in Act. Apost. ad Cap. XII. Cui iungimus Iob. Lightfootum, M. P. Cebetæum, a B. Chladenio allegatos, h) & ipsum quoque Chladenium i) dicentem: vix in augustissimo Apostolorum collegio quemquam habemus, qui tali animi fervore atque ardore turbas insurgentium adversariorum oppresserit, quam hoc par nobile fratrum. Probabile itaque putamus esse, nostrum Servatorem animum ipsorum vehementem ferventemque insimul respexisse, quo inflammati non poterant non omni vehementia resistentes prostigare. Et *Cel. Guil. Caveus k) prorsus non dubitat, optimum Salvatorem simul respexisse animum impetuosum maximeque fervidum horum fratrum, quippe qui multo fervidius ac vehementius temperamentum habuissent, quam reliqui Apostoli. Tandem, qui primo loco nominandus fuisset, Summe Ven. & Spectabilis Dn. Decanus noster, Celeberrimus D. Heumannus, nupeirime l) variis non contemnendis rationibus demonstravit, nomen hoc ne quidem fuisse nomen laudis, sed nomen vitii, & appellatio-**

B 2

nem

g) *Chladen. l. c. §. 16-27. & Quir. Gregor. Diss. 1. cir. §. 20. Lampe l. c. c. 2. §. 8. fqq. Tossanus ad h. l. h) l. c. §. 22. & 24. i) l. c. §. 28. p. 33. k) in Viris Apostol. p. m. 497. l) in Appendice Diss. cui titulus: Commentarius in Psalmum Davidis tonitrualem, annexa, p. 29. fqq.*

nem non honorificam, sed invektivam, & Salvatorem ipsis hoc nomen imposuisse occasione historiae, quæ Luc. IX. 52. sqq. memoratur; quo ipso nostram sententiam de causa hujus nominis primaria egregie confirmat Vir doctissimus nunquam satis laudandus.

§. VIII. Ambitio Cholerica propria, licet in hominis conversione supprimatur ac frangatur, nunquam tamen penitus in hac vita eradicatur, sed in sanctissimis quoque nonnunquam resurgit, & de intima humanæ naturæ corruptione testimonium perhibet. Animadvertimus hoc in laudatis *viõis βεγοvñs*, qui, licet pii ac genuini Christi sectatores essent, & mundum resque mundanas abnegassent, imo patre, matre, domo omnibusque derelictis, Christum secuti essent, naturalem tamen & vitiosam mentis suæ propensionem, quæ alta semper spirabat magnaue appeterat, ita vincere non potuerunt, ut forex suo se non proderet indicio. Quid enim nisi vitiosa ambitionis indicium est, quod matrem suam instigaverint, ut a Christo expeteret summos pro filiis suis honores in regno Christi stabiliendo, ut scilicet eos faceret primos regni proceres, sibi dignitate ac auctoritate proximos. m) Se jure hoc petere posse credebant, cum optimus Salvator eos præ cæteris discipulis singulari familiaritate dignos iudicasset, & solus Petrus contendere cum ipsis posse videbatur. n) *Iansenius in Harm. Evang.* o) ita in h. l. commentatur: *proinde hi duo carnaliter ad huc affecti commoti sunt, ut modo primas sedes sibi precarentur. Videbant enim, se præ aliis fere honorari & familiarem sibi esse dominum, sed Petrum timebant sibi præferri, qui & ipse cum illis a Domino quandoque extra alios assumebatur, cum secretiora quedam Dominus communicare voluit.* Sed nihil Petro quoque concedendum esse existimabant, quia huic in omnibus æquales, & insuper Christi consanguinei essent. Ut igitur sibi suæque dignitati prospicerent, sollicitant matrem, ut hanc pro filiis honorem expeteret, sive, quia putarunt, feminam cognâ-

m) *Matth. XX. 20. sqq.* n) *Lucas Brugensis & Piscator apud Polam in h. l. o) apud Lampium l. c. c. 2. §. 21. c. p. 35.*

cognatione cum Jesu multisque erga eum amoris testimoniis insignem plus blandis suis precibus valituram, sive ut pudori suo confulerent, sive ut reliquorum Apostolorum invidiam effugerent. Matrem vero rem filiorum nomine & instinctu gessisse, liquet ex parallelo loco p), ubi, quæ Matthæus de matre narravit, ea Marcus expresse ipsis adscribit Zebedæi filiis. Accedit, quod Christus in responsione non matrem, sed ipsos filios adloquatur, & reliqui discipuli propterea non matri, sed filiis succenseant. q) Plures rationes & consentientes quoque tam veteres quam recentiores doctores adducit *Cel. Lampius l. c. & Caveus l. c.* In ipsa quoque eorum responsione latet superbia. Sic Polus ad *Matth. XX. 22. temere & arroganter, ut honorem petiverant, ita etiam respondent, non satis percipientes, quantum erat, quod pollicebantur.*

§. IX. Narrant Evangelistæ, r) frequentiores subortas esse inter discipulos contentiones de primatu, quinam summus futurus sit in regno Christi stabiliendo? Non indicatur, quinam fuerunt auctores rixæ. Quando vero illud filiorum Zebedæi factum (§. 8.) perpendimus, nulli prorsus dubitamus, quin ipsi occasionem huic liti semper dederint. Eandem nobiscum fovet sententiam *Cel. Lampius*, qui alias Johannem sanguineo-phlegmaticum fuisse putat, affirmans, *l. c. inprimis glorificationem Christi in monte ambitionem filiorum Zebedæi, carnales hæcenus cogitationes de regno Christi foventium, singularem in modum promovisse, eosque spem habuisse, sibi quoque primas in regno Christi destinatas esse, & forte dictis presumptionem hanc non dissimulasse, reliquos vero, inprimis Petrum, id non concedendum putasse. Et alio loco, s) vix dubitandum est, inquit, Johannem quoque partem habuisse in illis discipulorum cespitationibus. - in disceptatione, quis esset eorum maximus? Confirmamur in nostra sententia, quando ea, quæ Marcus & Lucas *ll. cc.* ulterius narrant, paulo accuratius perpendimus. Cum enim optimus Salvator discipulorum arrogantiam reprehenderet, iisque in-*

B 3

fan-

p) *Marc. X. 35. sq. conf. Polus ad Matth. XX. 20. Chladen. l. c. §. 2.*
 q) *Matth. XX. 24. Marc. X. 41. r) Matth. XVIII. 1. Marc. IX*
34. 35. Luc. IX. 46. XXII. 24. s) l. c. c. 2. §. 18. p. 32.

fantem ipsis præferendo pudorem incuteret, Johannes, se potissimum peti intelligens, & correptionis hujus impatiens, neque tamen Christo directe contradicere audens, sermonem Christi interrumpit & alium inchoat, narrans, se, cum nonnullis aliis discipulis, forte Petro & Jacobo, alicui, per nomen Salvatoris demonia ejicienti, & Christum tamen non sequenti, prohibuisse, ne illud amplius faceret. Agnoscit ipse *Lampius l. c. Johannem hic imprudentia experimentum tam facto quam dicto dedisse*, additque, *secundum quosdam quoque accessisse invidiam & superbiam, qua putassent, nomen Christi a nemine esse usurpandum, nisi qui sui ordinis esset.* Et sane, Johannem sermonem Christi priorem non solum interrupisse, sed etiam a superbia macula, quantum hoc factum atinet, non prorsus liberari posse, haud obscure indicat responsio Christi, qui non solum istud factum simpliciter improbabat; sed discipulos quoque sub comminatione pœnarum infernalium de scandalo vitando graviter admonebat, & de puerulo suo rursus loqui incipiebat. Marc. IX. 38. *sqq. Tossanus ad v. 41. observat: allhie sühret Christus seine Rede aus, die Er v. 27. abgebrochen hatte.*

§. X. Cholericorum & ambitiosorum proprium est, ut ad iram sint præcipites, nec ullam ferre possint injuriam illatam. Manifesta est filiorum Zebedæi ad iracundiam propensio ex historia, quam Lucas t) refert: cum enim Christus a Samaritanis hospitio excluderetur, ita statim eorum efferbuit ira, ut igne cœlitus demisso totum perdidissent locum, si Christus cupiditatibus eorum annuisset. *Eo vitiosior erat eorum iracundia, inquit sæpe laudatus Lampius u), quia a Magistro toties edocti erant, ipsos diligere inimicos. Et hi tamen non tantum malum malo referri ex talionis lege volunt, sed omnes etiam illius loci incolas cum conjugibus & liberis extinctos cupiunt, qui, etsi hospitium denegaverant, salvos tamen dimiserunt.* Equidem & amorem erga Jesum, quem iniquissime hac contumelia affici doluissent, partes aliquas in hac affe-

t) Luc. IX. 54, 55. u) l. c. e. a. §. 19.

affectuum tempestate habuisse affirmat, w) quod nos non negamus, sed facile concedimus, amorem sincerum, quo Christum prosequerentur, & suum contribuisse ad hanc indignationem animique fervorem nimium, & ipsos eo usos esse ad palliandum & justificandum hunc vitiosum carnis residua effectum. Hoc tamen a nobis impetrare nullo modo possumus, ut *Gregorio x)* concedamus, hocce factum non e nativo animi impetu deducendum esse, sed ex solo amore nimio in doctorem, existimamus enim omnino, primariam hujus fervoris & excandescenciae causam quarendam esse in naturali illorum ad iracundiam propensione animoque precipite: &, licet non negemus, ipsos sanguineos interdum, *licet rariuscule, obiecto amoris laeso vehementissimis abripi moribus*, cum nemo inter homines reperiat, qui non choleram sanguini suo habeat admixtam, tamen valde dubitamus, quod, si sanguis prevaluisset, ipsi Boanerges eo usque prolapsi fuissent, ut excidium universale istius vici tanta crudelitate promovere desiderassent, ejusmodi enim furorem ac vindictam atrocem, truculentam & immanem, tota abhorret sanguineorum natura ad lenitatem ac humanitatem propensa, imprimis, si offensa tam levis fuit, quam illa a Samaritanis accepta. Pugnant pro nostra sententia ipsa filiorum Zebedaei verba, quae, cum in tali statu prolata sint, ubi ad semetipsos non attendere, aut naturalem animae propensionem celare poterant, clarissime de ambitione eorum naturali restantur: non enim, quod forte ira sanguineorum repentina & exuberans fecisset, Magistrum suum rogant, ut igne Samaritanorum castigaret petulantiam, sed ipsi esse volunt injuriae illatae vindices & crudelissimi consilii ac summae saevitiae executores. Si vera essent, quae *Barnagius y)* tradit, eos illos binos legatos fuisse, quos Jesus in vicum Samaritanorum hospitium rogaturos miserat, unde ob illatam

w) l. c. & c. 1. §. 14. p. 15. x) Diff. 1. cit. §. 19. p. 29. y) ad a. 32. §. 43. *consf. Lumbe l. c. §. 19. p. 32. Et Grotius apud Polum ad l. c.*

latam sibi privatam injuriam viderentur exacerbati fuisse, adhuc clarius pateret eorum superbia; sed hanc sententiam non prorsus improbabilem suo auctori defendendam relinquimus. Certius vero pro nostra hypothesi fundamentum invenimus in responsione Salvatoris, expresse spiritum suum lenem, mansuetum ac humilem, spiritui Boanerges opposentis, quæ vero oppositio minus legitima fuisse videtur, si sanguineorum lenitas ac humilitas ipsis naturalis, præsens vero animi effervescentis excessus saltem extraordinarius & ex nimio erga Jesum amore ortus fuisset. Refert quoque *Lampius* inter causas furoris horum, partim inveteratum Judæorum contra Samaritanos odium, adeo ut a nemine difficilius fuisset perferre injurias, partim nomen a Salvatore eis impositum, quod secundum litteram tale quid innuere videbatur; sed hæc quoque causa, si admittuntur, non tam sanguinis prædominium naturale evincunt, quam potius choleram prædominantem arguunt. Eandem nobiscum fovent sententiam *Caveus* l. c. & *Chladenius* 2) affirmans, ex hoc facto abunde ipsorum animi vehementiam emicuisse, quæ omnem adversariorum conatum destruere anxie laboraverit.

§. XI. Sanguinei vulgo timidi & inconstantes esse creduntur, Cholericorum vero ab omnibus deprædicari solet constantia, fortitudo ac animus imperterritus. Deprehendimus vero quoque in Johanne nostro insignem animi fortitudinem ac constantiam, & animum intrepidum ac timoris expertem. Nullum sane indicium proferri posse credimus, quod Johannem nostrum timiditatis arguere posset, cum contra animum constantem, intrepidum & nullis fortunæ adversæ ictibus percellendum plus una occasione ostendit. Sane hæc animi ejus magnitudo non minima ratio fuisse videtur, quare Christus eum inter testes passionis suæ in horto esse voluit: non enim credibile est, Christum hac occasione, ubi ipsemet constantia gravissime tentabatur & vehementissimos patiebatur impetus, fo-

cios

2) l. c. §. 28. p. 33.

cios elegisse eos, qui ex suis discipulis maxime timidi erant, sed probabile potius est, eum fortissimos discipulorum suorum ac constantissimos secum adsumsisse.

§. XII. *Quar*: hac occasione: quare Christus nunquam a) Petrum ac Zebedæi filios reliquis discipulis prætulit, & familiarius cum iis versatus sit, quam cum reliquis discipulis? Placent, quæ in medium profert *Cl. Witius*: b) mihi, inquit, hanc addere liceat præcipuam causam, cur præ aliis hos secum sumserit Christus, liberrimum ipsius atque immeritum esse favorem. Habet enim quosdam e suis interioris admissiois amicos, in quos eximias præ reliquis omnibus prærogativas consent. Nec est, quod illud Domino, aut suis invidiamus. Exigit Ecclesie conditio, ne omnes aut donis pares, aut officio æquales sint. Non omnia corporis membra possunt esse oculur. 1. Cor. XII. 24. Et nihil sane, addit *Lampius*, in triga hac apparet, cur reliquis præferretur. Forte ne quidem peculiaris amor, & major, quam erga reliquos discipulos, ex hæc familiaritate eliciendus est; & Christus eorum societatem in hisce casibus tantum elegit propter eorum taciturnitatem ac constantiam, quæ ipsis vi temperamenti sui naturalis erat: silentium enim iis in prioribus casibus expresse imposuit, c) in ultimo casu autem quam maxime requirebatur animi constantia; quas tamen conjecturas nemini obtrudimus. Apud *Polem* sequentes inveniuntur rationes, 1) ad *Marc. V.* tot testes adsumebat, quot rei probande sufficiebant, plures admittere speciem habebat ostentationis; ad *Matth. XVII.* Non omnes adsumebat, ne res epularetur, sed tres tantum, qui ad testimonium sufficerent; ad *Matth. XXVI.* Testes tres esse voluit orationis & doloris, ne quid excipi posset, & quia illi gloriam ejus viderant; verendum enim erat, ne alii infirmitate Christi offenderentur. d)

§. XIII. Sed revertimur ad nostri *Johannis* animum constantem & prorsus imperterritum: hujus vero egregia

a) conf. *Marc. V.* 37. *Matth. XVII.* 1. *XXVI.* 37. b) apud *Lamp.* l. c. c. 2. §. 17. p. 31. c) *Luc. VIII.* 56. *Matth. XVII.* 9. d) conf. *Chladen.* l. c. §. 4.

& illustriora edidit specimina in progressu passionis cruciatæ Domini nostri Jesu Christi, cujus testis oculatus solus ab initio usque ad finem fuit. Equidem, cum Christus captus esset, aufugit cum reliquis discipulis, e) exinde tamen nullo modo ad ejus animum timidum concludi potest. Non solum enim constat, etiam fortissimos nonnunquam, & qui mortem alias nequaquam timebant, in tam præsentissimo vitæ periculo tamque inopinato salutis suæ fuga consuluisse; sed maximopere etiam in hoc ipso facto singularis agnoscenda est Salvatoris omnipotentis directio, qui, cum hosce elegisset, non ut eum ipso morentur, sed ut mortis ac resurrectionis suæ testes inter homines essent, ipse omnipotenter discipulos suos, alias ultima cum Magistro suo experiri paratos, ad fugam in præsentis periculo capeendam inclinavit. f) Satis quoque ostendit noster, quam parum mortem timeret, cum & ipse, una cum Petro & fratre suo, paratus erat, Magistrum suum cum præsentissimo vitæ periculo gladio contra aggressorum multitudinem defendere, sed Christo illud prohibente a proposito suo desistit. g) Omnibus vero discipulis sese occultantibus, Petro autem e longinquo sequente, qui tamen palatium pontificis ingredi non audebat, ipse sine timore turbæ se immiscet, & non solum ipse Christum captivum in pontificis palatium sequitur, sed etiam Petrum foras persistentem introducit. h) Notus equidem dicitur pontifici, sed hoc non minuit periculum, aut detrahit ejus animi magnitudini ac constantiæ, maxime enim probabile est, quod, cum ipse notus fuerit pontifici & suis, etiam tanquam asseda Christi ipsis notus fuerit, num vero sola pontificis notitia eum a periculo aut mortis, aut certe captivitatis, libe-

e) Matth. XXVI. 56. Marc. XIV. 50. f) Joh. XIII. 36. XVIII. 8. 9.
g) Luc. XXII. 49. 51. h) Luc. XXII. 54. Joh. XVIII. 15. 16. De hoc sine ratione dubitant Hållische auserles. Numers. T. 3. Obs. 12. p. 321. conf. quoque *Polus* ad Joh. XVIII.

liberare potuisset, si agnitus fuisset, cum constet, quantus fuerit Judæorum & procerum ejus furor ac novercale odium, quo non solum Christum, sed omnes quoque ejus sectatores persequebantur? Petrus introductus timoribus plenus e longinquo stat ad ignem carbonarium, probabile vero est, Johannem propius accessisse ad Christum vinctum, nec presentem audivisse Petri abnegationem, & cum Petrus postea abiisset, Johannes tamen usque ad finem remanet, omniaque solícite observat, licet ei ea, quæ Petro acciderant, ignota mansisse non credamus. i)

§. XIV. Maxime probabile est, cum quoque Christum secutum esse ad tribunal Pilati, non solum enim nulla apparet ratio, quare ille, qui individuus huc usque Christi vincti comes fuerat, & eum etiam postea ad crucis supplicium raptum secutus est, Magistrum suum illo tempore deseruisset; sed ocularis quoque historia passionis Christi inspectio ostendit, Johannem nostrum acta passionis Christi coram tribunali Pilati accuratissime descripsisse, & varias a reliquis Evangelistis omissas circumstantias primarias supplevisse. Neque etiam opus erat, ut expressis verbis diceret, se Christum quoque ad tribunal Pilati secutum esse, cum jam antea dixisset, se Christum secutum esse in pontificis palatium, & sub finem historiae passionis expresse se testem passionis ejus oculatum nominet, k) quibus verbis illum non ad sola facta proxime antecedentia, sed ad totam passionis historiam respexisse, credimus. Saltem eodem jure hoc affirmatur, quo negatur, quia de utroque nihil expresse dictum invenimus.

§. XV. Nec Magistrum suum deserit noster, cum ei jam contumeliosissimæ mortis pœna decreta esset, sed eum ad crucem usque comitatur. Nihil metuit, nihil

C 2

re-

i) *conf. Joh. XVIII, 26. 27. k) Joh. XIX, 35.*

reformidat, quanquam eo tempore maxime metuendus erat hostium Christi furor, l) non e longinquo manet, non turba se immiscet, ut ignotus maneret, sed cominus ad crucem accedit, non abnegat Christum crucifixum eum adloquentem & matrem ei commendantem, sed obedientiam ei promittit & facto & procul dubio etiam verbis, adeoque palam profitetur, se assecclam esse & discipulum hujus e cruce suspensi, licet innocentissimi, tamen Judæis tantopere exosi, neque eum prius deserit, usque dum spiritum patri tradiderat, atque sic ipse implet, quod Petrus promiserat, non vero servaverat. m) Non affirmamus, insignem & admirandam hanc animi magnitudinem ac constantiam Johannis solius fuisse effectum naturæ, sed ambabus concedimus, gratiam quam maxime in eo efficacem fuisse, & permultum contulisse ad ea, quæ laudavimus, singularis ac eximia fidelitatis & summi ac tenerrimi amoris specimina; hoc tamen certissime persuasum habemus, naturales animi dotes & virtutes in nostro nullo modo excludi posse, sed sua quoque habuisse partes in laudabili illo Johannis facto. Quod *ordinaria gratia* tale quid in sanguineo natura timido & meticuloso non facile effecisset, probamus exemplo reliquorum discipulorum, qui ne quidem omnes sanguinei fuerunt, & ipsius Petri, qui Christum non minus amabat, quam Johannes, & qui alias adeo timidus non erat, (ejus quippe temperamentum naturale Cholericum-sanguineum fuisse, non sine ratione credimus); cum vero miraculum & gratia extraordinaria admittenda non sit sine urgente necessitate, & omnia optime ex naturalibus Johannis Cholericæ propensionibus ac virtutibus, per gratiam elevatis, empendatis ac sanctificatis, derivari possint, patet, nostram sententiam veritati quam maxime esse consentaneam.

§. XVI.

l) Job. XX. 19. 26. m) Job. XIX. 26. 27. & 35.

§. XVI. His tamen non obstantibus vulgo creditur, temperamentum Iohannis naturale praeponderans fuisse sanguineum. Provocant primo huius sententiae Patroni ad tenerimum amorem, quo ille Iesum & Iesus eum vicissim amplexus sit, ex quo amore mutuo sincerissimo Gregorius n) arbitratur, se magno cum fundamento pronunciare posse de Iohannis temperamento, istud ipsum fuisse sanguineum. Et Lampius existimat, o) illum innocua sua iucunditate Sospitorem nostrum ita occupasse, ut primum in familiaritate locum ei concesserit, cumque in sinum suum non solum corporis in accubitu, sed etiam animi receperit. Nos amorem illum mutuum integerrimum non negamus, sed non possumus perspicere, quomodo ex illo ad sanguineum Iohannis temperamentum concludi possit. Quod enim amorem Iohannis erga Iesum attinet, num putas, Cholericos non aequae capaces esse amoris sincerioris, tenerrimi ac constantis, quam sanguineos? Ad amorem carnalem, vitiosum ac libidinosum magis propensi sunt sanguinei, quam Cholerici, amor vero purus, castus, perfectus & virtutibus ac perfectionibus alterius innixus, aequae facile cadit in hos, quam in illos. Imo potius Cholericorum amor perfectior, purior & constantior est, quam sanguineorum, quando semel objecti amati perfectiones amore & veneratione perpetua dignas agnoverunt & admirati sunt; illi enim, si ipsi virtuti dediti sunt, virtutem & perfectiones semper amant & venerantur, ubi eas inveniunt, etiam in ipsis hostibus, hi vero non tam ipsas virtutes in altero eminentes, quam potius propriam voluptatem ac delectationem, quam ex amicitia sperant, amare solent. Deinde amor Iohannis erga Iesum non tam naturalis erat, quam spiritualis & ab ipso Spiritu S. productus, num vero putas, Spiritum S. non aequae purum, sincerum ac constantem amorem in Cholericis producere posse, quam in sanguineis? Sane amor Iohannis perfectissimus & nobilissimus, ejusque effectus laude & admiratione digni,

C 3

magis

n) Diff. 2. cit. §. 28. o) l. c. 6. 1. §. 27.

magis arguunt animum natura magnum, nobilem ac constantem cholericæ, per gratiam emendatum, elevatum ac sanctificatum, quam temperamentum sanguineum, cuius naturalis inconstantia ac timiditas etiam post conversionem subinde recurrere, & se ipsis hominis sanctificati actionibus immiscere solet.

§. XVII. Multo minus ex Christi amore erga Iohannem concludi potest ad temperamentum hujus sanguineum. Ne quidem certum est, Iesum majori amore complexum esse Iohannem, quam reliquos discipulos, Iohannes hoc nullibi dicit, sed saltem se amatum esse affirmat, quibus verbis, non ex gloriatione, sed ex humilitate profectis, prædicat ingentem Christi bonitatem, quod ipsum vere amasset, ut etiam reliquos discipulos, cum tamen amore Θεανδρώπης dignus nullo modo sit, sed saltem ejus misericordia. Sed sit ita, concedamus, Christum Iohannem plus amasse quam reliquos discipulos, quid ille amor ad temperamentum Iohannis sanguineum? quis hanc prærogativam amoris rationem in temperamento Iohannis sanguineo quareret? Nonne plures sanguinei erant inter discipulos, quare vero illos minus amavit? Quis Lampio crederet, illum *innocua sua jucunditate*, i. e. blandis suis illecebris & adulationibus innocuis, ad morem sanguineorum proprium, optimum Salvatorem ita occupasse, ut eum reliquis omnibus præferret, nonne hæc esset vera προσωπληνία? Voluptuosi homines alterum propter solam innocuam jucunditatem aliis præferre solent, de Salvatore autem nostro tale quid affirmare non audemus. Accubitus in sinu & ad pectus præcipui inter accumbentes, ex more Orientis antiquo, erat locus honoratior, & prorsus aliud est, in sinum recipere aliquem inter accumbendum, & in sinu fovere aliquem, hoc amoris & blanditiarum indicium est, illud æstimmii ac honoris.

§. XVIII. Frustra quoque ad Iohannis *philadelphiam*, toties scriptis, voce & vita ab eo inculcatam, provocat *Lampius*.

pius. Ea enim non fuit virtus naturalis, sed fructus supernaturalis fidei ac Spiritus S. & testatur saltem de perfectissima ac sanctissima propensionum naturalium emendatione; neque major fuit Iohannis philadelphia, quam Pauli, quem nemo Cholericum fuisse negat, & qui etiam ex eo fratrum amore precatus est, anathema esse pro salute impiorum Iudæorum, qui fratres eius erant secundum carnem. p) *Familiaris* eius cum Petro conversatio q) prorsus nihil probat, neque enim Petrus fuit sanguineus, quod credit *Gregorius*, neque probari potest, nullam veram ac sinceram amicitiam inter Cholericum & sanguineum locum habere posse. Nos quoque illam amicitiam non ex morum naturalium similitudine derivamus, sed ex donorum spiritualium paritate, & ab uno eodemque spiritu, qui ambos regebat ac movebat. r) Tunc quoque concedemus Gregorio & Lampio, ex *longævitate* vitæ nostri ejus temperamentum sanguineum probari posse, quando evictum erit, omnes & solos sanguineos vitam suam producere usque ad seram canitiem, omnes vero Cholericos & Melancholicos in ipso ætatis flore vitam finire. Nos hujus longævitatis rationem quarimus in temperantia nostri, in perfecta abnegatione sui ipsius, & exinde profuente affectuum vehementiorum sedatione ac tranquillitate, & maxime in benevola Salvatoris voluntate Ioh. XXI. 22. indicata. (*) *Conjugium* quoque Iohannis admodum lubrico nititur fundamento, & plerique ex veterioribus ac recentioribus Doctoribus, imo ipse *Lampius* s), sollicitus alias rationum pro temperamento Iohannis sanguineo militantium indagator, probabilius esse judicant, illum mansisse calibem & *non devot.* Et quod si etiam uxoratus fuisset, conjugium tamen non efficit sanguineum, cum extent quoque exempla Cholericorum & Melancholicorum, qui matrimonium iniverunt. Addunt nonnulli, nostrum fuisse juvenem illum, qui relicta sindone nudus e milirum

p) *Rom.* IX. 3. q) *Gregor.* l. c. §. 18. 19. r) *Eph.* IV. 3. sqq. (*) *conf. Chladen.* l. c. §. 30. p. 35. s) *l. c. c.* 1. §. 13. & 14. p. 14.

Titum manibus evasit t); sed non omnes sunt sanguinei, qui semel fugiunt. (§. 13.) Dubitant quoque plerique, Iohannem fuisse illum juvenem u), & ipse Gregorius l. c. affirmat, eorum conjecturam, qui Iohannem subintelligunt, ob rationes a Casaubono Not. ad b. l. indicatas, vix alicujus mereri assensum. Et in Diss. cit. II. §. 7. refert, Patrum de Natal. h. 4. c. 108. credidisse, juvenem hunc fuisse Iacobum Minorem, propter similitudinem maximam cum Christo a militibus loco Christi captum, nec antea dimissum, nisi postquam Christus dixisset: si me queritis, hos dimitte. Grotius apud Polum ad b. l. hæc habet: non fuit de Apostolorum grege, quod miror veteribus in mentem venire potuisse; sed ex villa aliqua horto proxima, strepitu militum excitatus, & subito accurrens, ut conspiceret, quid ageretur. Erat nocturna vestis seu cubitoria, quam secum abstulit hic juvenis, cum e lecto se proriperet. Eandem fovent sententiam Tossanus ad b. l. & Die Hällische auserles. Numerf. l. c. §. 8. p. 324.

§. XIX. Magno tandem consensu provocant interpretes ad stylum Iohannis blandum, suavem, facilem & jucundum, & in eo evidentissimum querunt pro temperamento ejus sanguineo fundamentum. w) Nos 1) in genere negamus, a stylo ad temperamentum auctoris secure concludi posse. Est interdum stylus mentis propensionumque eius indicium, quod non negamus, sed nisi simul alia concurrant circumstantia, ex quibus de indole & propensione scriptoris nobis constat, stylus nihil certi probat. Nam sæpe patientia sanguinei læsa abit in furorem, ut stylo maxime fervido & vehementi utatur. Sæpe discipulus imitari consuevit stylum magistri, indoli suæ haud convenientem. Sæpe scriptor studio dissimulat & occultat genium suum, & qui totus se consecravit ambitioni, ex rationibus politicis stylo utitur humili, blando, facili ac amabili

t) Marc. XIV. 51. u) vid. Lampe l. c. c. 2. §. 27. w) cons. Lampe l. c. c. 1. §. 14. Boerf. Miscell. Lips. Tom. IV. Obs. 75. §. 5. Hällische auserles. Numerf. l. c. §. 19. p. 342. Gregor. Diss. cit. I. §. 20. it. §. 4. & in Proem. p. 4. et. in Diss. de usu doctrinæ de temper. Apost. §. 9.

bili. Imo satis constat, stylum grandiloquum non semper esse ambitiosum. Multo minus 2) ex stylo virorum θεοπνεύτων ad indolem eorum naturalem secure concludi licet. Nam constat, naturam horum per gratiam emendatam, illuminatam atque sanctificatam esse, adeoque, si stylus a temperamento scriptorum pendet, etiam affirmandum est, stylum virorum sanctorum naturalem post conversionem & illuminationem eorum emendatum & valde immutatum esse,*) adeoque ex illo ad temperamentum eorum naturale certum quid concludi non posse, quod si etiam vel maxime concedamus, Spiritum S. inter inspirandum sese accommodasse ad genium, indolem, propensiones & stylum amanuensium. Sed 3) ne simpliciter quidem hoc concedere possumus, sed affirmamus potius, diversitatem styli dependere potissimum a diversitate rerum, quas tractat scriptor facer, & a diversitate subjectorum, ad quos scribitur, quod ad perfectionem scripti alicujus necessarium est. Sane enim absonum fuisset, quando scriptor, in argumento evangelico versans, stylo uti voluisset vehementiori ac austeriori, vel, quando scriptor, argumentum tractans epanorthoticum, stylum blandum & adulatorium adhibere voluisset, & sic porro; item, quando Iohannes, ad regenos & in fide ac pietate constantes scribens tam acriter in eos invchere voluisset, quam Paulus scribens, ad imprudentes & veritati non obediens Galatas, ad contentiosos, discordiosos & aliis vitiis contaminatos Corinthios, &c. Longe vero mitiori ac suaviori stylo utitur ipse Paulus, ad poenitentes Corinthios & egregia fide ac pietate conspicuos Thesalonicensis scribens; uti contra Iohannes quoque, ubi mentionem fecit impiorum, nullo modo timidum se gessit, aut iis blanditur, sed potius acerrime in eos invchit, & talia iis tribuit

D

prae-

*) *conf. B. Rambach. Instit. Herm. S. L. 2. c. 3. §. 4. ** p. 127. ubi Spiritum S. sanctificato temperamento amanuensium excitatos affectus, ipsumque adeo stylum conformasse affirmat.* x) Speciminis loco *conf. 1. Ioh. I. 6. 8. 10. II. 4. 11. 18. 22. III. 8. 10. 15. IV. 3. V. 19. 2. Ioh. 7. 9. 3. Ioh. 9. 10.*

prædicata, qualia vix apud Paulum reperies. x) Nec negare illud potest ipse Gregorius, qui non solum y) fatetur, quod idem sermonis argumentum haud raro eadem parere soleat verba; sed etiam alibi z) ostendit, ad scriptoris affectum rite pernoscendum necesse esse, ut affectus eorum, quorum gratia quis scribit, investigemus. Mutato enim objecto, addit, ipsos quoque affectus necessario mutari, facili quivis negotio assequi potest, ipsaque Epistolarum Pauli ad Corinthios scripturarum diversitas illud comprobat, in priori enim quanta, quæso, animi commotione, quantoque zelo in hominem incestuosum totamque nimis indulgentem Ecclesiam inv. hit? mutato autem objecto, atque homine peccatore seria penitentia ad Deum converso, mutatur quoque affectus Apostolicus, S, qui prius personam egerat patris severe corripientis, animum nunc induit patris letantis ac blandientis. Cujus quoque observationis egregium usum in Theologia Exegetica §. 3. & 4. exemplis ostendit. Accedit 4) quod tota scriptura, ad quam etiam stylus & structura verborum pertinet, non ab amanuensibus dependeat, sed ab ipso Spiritu S. qui pro unico auctore primario totius Scripturæ agnoscitur. a) Hinc optime B. Quætstedius b): *Causa diversi sermonis non est illius scriptoris urbanitas S. hujus rusticitas, sed quia dat Spiritus S. unicuique eloqui, prout vult. Interim liberales esse & concedere volumus, esse quædam passim stylo scriptorum S. immixta, quæ huic vel illi scriptori etiam in ordinario suo stylo propria fuerunt, nunquam tamen probari poterit, totum stylum ipsis fuisse naturalem, illumque derivandum esse ex temperamento eorum naturali, sed ubi vis ostendi potest, eum naturæ rerum, & indoli eorum, ad quos scribebatur, fuisse consentaneum.*

§. XX. Quando etiam ipsum Iohannis stylum accuratius contemplatur, nihil in eo deprehendimus, quod cum tem-

y) *Diss. I. cir. §. 12. z) In Diss. de usu doctr. de temper. Apost. Ec. §. 2. p. 9.*
 a) 2. Tim. III. 16. Matth. X. 19. b) *in Diss. de Θεορευσις s. S. W. 1657. §. 38. conf. Gregor. Diss. I. cir. §. 4.*

temperamento ejus Cholericus consistere non possit, sed potius apprime ei conveniens est. Audiamus *Flacium in Clav. Scr. S. c)* p. m. 393. de stylo Iohannis differentem: *Iohannis sermo omnino grandis est, inquit, non minus quam Pauli: tamen si aliquando etiam quasi blanda demis saque voce, ut pater domi cum dulcissimis liberis, colloquatur, variusque Paulinam gravitatem & austeritatem adhibeat. Et p. 395. Hoc habet proprium Iohannes in suo Evangelio, quo ad altiora sermo ceteris consecratur -- ob quam causam symbolo aquile alte volantis, & solem ipsum recto visu intuentis, designatur. Et p. 396. Gravitatem quidam Iohanni tribuunt, quod cum quadam dignitate ac majestate loquatur. Nam non pauca ex sua persona docet, cum alii tantum narrent. Adserit vero cum auctoritate &c. Flacio jungimus B. Chladenium, ita de stylo Iohannis judicantem in *Diss. cit. §. 24. d)*: Ex ipsius scriptis, eum ceteros suavissima cum gravitate mixta facundia antecelluisse, abunde constat. Haud ergo quibusdam fuit visus in scribendo Paulo dissimilis, nisi quod rarius severior scripserit, nec non austerior. Interim ipsius stylus grandis est, & efficax admodum ad hominum animos commovendos, permixtus cum dignitate & elegantia. Nam ipsius scripta rerum ac sententiarum magnitudinem redolent, expolitoque gaudent modo scribendi, ut justus tenor animos hominum occupet ac pungat. Et §. 25. Habet hoc peculiare stylus Iohannis sublimior, ut lectorem in sui consensum rapiat, animumque ipsius vehementer moveat & vincat. Non enim solum res firmis immotisque argumentis roborat, verum etiam in tradendis doctrinis saepe vel ad se ipsum vel ad ipsos auditores provocat. -- Lenem istam austeritatem pro pergrandis materiae ratione, & diviniis obiecti momento interspersit. Quo augustiora enim sunt, qua dicenda, eo severiori etiam vultu delineanda, ut dignitatem, quam pra se ferunt, omnino & in dictione asservent, & tueantur. -- Quis non admiraretur sermonis ipsius in corde legentium efficaciam? cum ea, que*

c) *Part. alter. edit. Basl. de 1607.* d) *conf. quae supra §. 7. de concionum ejus vehementia attulimus. Et ipse Gregor. Diss. 1. cit. §. 20.*

que suavi austeritate prolata, crebro repetantur, mox grandia verba adhibeantur, singularia epitheta apponantur &c. Cum igitur stylus Iohannis planus quidem, suavis ac fluidus sit, interrim nec humilis, nec demissus, sed potius grandis, gravis, ad convincendum aptus, ac mysteriis, quæ proposuit, dignus, quivis facile perspicit, eum eius temperamento Cholericum optime & apprime convenientem esse.

§. XXI. Proposueramus nobis, nunc quoque agere de sancta & salutari temperamenti Iohannei per gratiam facta metamorphosi, & ex H. E. ostendere, quam efficax gratia in nostro fuerit, quam egregios in abnegatione sui & profectionum naturalium vitiosorum fecerit profectus, quomodo tamen omnes ejus actiones prodiderint temperamentum cholericum emendatum ac sanctificatum, sed nimis jam excrevit Dissertatio, & pagellarum brevitatis huic labori destinatarum plura addere non permittit. Claudius igitur jam rivos verbis *Cavei*, qui mentem nostram de Iohanne accurate expressit e): quod Iohannis temperamentum naturale attinet, ille per naturam fuisse videtur animo maxime fervido ac impetuoso, qui facile irritari & ad iracundiam permoveri potuit, quanquam progressu ætatis animus ejus per gratiam prorsus immutatus & incomparabili mansuetudine repletus fuit.

e) in *Vit. Apost.* p. m. 523.



ED - Beg 2002

01 A 6739


Sb.

Do

Reha ✓

41
Juli





77. 25
Q. D. B. V.
DISSERTATIONEM
DE
TEMPERAMENTO IOHANNIS
APOSTOLI CHOLERICO
IN ALMA GEORGIA AVGVSTA
CONSENTIENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM
ORDINE
PVBLICAE DISQVIVISIONI SVBMITTVNT
PRAESES
M. CHRISTOPH. LVDOVICVS
OBBARIVS
ET RESPONDENS
CHRISTIANVS FRIDERICVS HEINE
LAVTERBERG. GRVBENHAG. S. S. THEOL. CVLTOR.
H. L. Q. C.
D. VIII. SEPT. A. O. R. MDCCXXXVIII.
LITTERIS HAGERIANIS.